

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Correctio
cum fonte primo

Non uult te Dominus si forte uideris peccatum fratris tui
continuo euolare ad publicum et proclamare passim
et diuulgare aliena peccata.

Quod esset utique non corrigentis sed pocius infamantis.
Solus, inquit, inter te et ipsum corripe eum.

Vbi enim seruari sibi misterium uiderit ille qui peccat
seruabit et ipse emendacionis pudorem.

Si uero diffamari se uideat,
illico ad denegandam impudenciam conuertetur,
et non solum non emendaueris peccatum, sed et duplicaueris.

Origenes super Leuiticum capitulo XXXIII. tractans illud:
Si uideris fratrem tuum peccare, argue eum inter te et ipsum.

Non vult enim te, si forte peccatum videris fratris tui,
continuo evolare ad publicum et proclamare passim
ac divulgare aliena peccata;
quod esset utique non corrigentis, sed potius infamantis.
Solus inquit inter te et ipsum corripe eum.
Ubi enim servari sibi mysterium viderit ille, qui peccat,
servabit et ipse emendationis pudorem;
si vero diffamari se videat,
illico ad denegandi impudentiam convertetur;
et non solum non emendaveris peccatum, sed et duplicaveris.

Origenes, *In Leviticum homeliae*, 3.2
(SC 286, M. Borret ed., p.126, ll.19-27).